

TITULUS XIV.

De Precariis.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quoniam titulo præcedenti dictum est de alienatione rerum ecclesiasticarum in genere; pergit compilator juris canonici ad agendum de contractibus in specie, utpote quibus alienari contingit res ecclesiasticas. De quibus proinde in præsentiarum agendum restat, omissis tamen illis, quæ partim de pactis, et contractibus in genere, atque transactionibus ex professo dicta fuerunt superius, lib. I. *Decretalium*, tit. XXXV. et XXXVI. per totum: partim vero spectant ad theologiam. Hinc, quantum ad rubricam hujus tituli:

2. *Precarium quot modis sumatur? Sumitur quandoque pro re precario data, quandoque pro contractu: sicut et commodatum, depositum, mutuum et pignus.* — Quæritur I. Quot modis sumatur precarium? Resp. I. Precarium (sicut et commodatum, depositum, mutuum, et pignus) subinde accipitur pro re precario data, commodata, deposita. Quandoque vero pro ipso contractu precarii, commodati, depositi, mutui, seu pignoris. Et hoc posteriori modo sumitur hic precarium nempe pro ipso contractu precarii: nam precarium inter contractus numerari, patet ex l. *Contractus*. ff. de *Reg. Jur.*

3. *Nomen hujus contractus tripliciter in jure reperitur expressum: et quomodo? Precaria, et precariæ in fœminino sumptæ, non differunt.* — Resp. II. Nomen hujus contractus tripliciter in jure reperitur expressum, videlicet in neutro *Precarium*: uti fit cap. III. h. t. et cit. l. *Contractus*. ff. de *Reg. Jur.* Et in fœminino numeri singularis: ut can. *Precaria a nemine*. 10. q. 2. ibi *Facere precariam*. Et rursus in fœminino numeri pluralis: ut d. can. *Precariæ a nemine*, et can. *Precariæ de quinquennio*, 10. q. 2. et cap. I. ac ult. h. t. Et quamvis precaria, et precariæ in fœmininosu mptæ, non videantur differre; ut cum communi notat Abbas, cap. I. n. 3. h. t. contra Hostiensem: nihilominus contractum precarii differre a contractu precariæ, sive precariarum, passim fatentur doctores, et amplius patebit ex dicendis.

4. *Precarium, quid? — Quæritur II. Quid sit precarium, et quomodo differat a donatione, et commodato? Resp. I. Precarium*

recte definitur ab Ulpiano, l. I. ff. de *Precario*, dicendo: « Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tandiu, quandiu is qui concessit, patitur. Quod genus liberalitatis ex jure gentium descendit. » Hæc ibi: Concordat cap. III. h. t. ibi: « Precarium utendum conceditur, quandiu patitur (id est non revocat) qui concessit: solvitur quoque obitu ejus, cui concessum est, non etiam concedentis. » Et in hoc sensu sumitur etiam ly, « Precario, » adverbialiter dictum: nam, quod precario datur, aut accipitur, semper potest revocari, seu repeti.

5. *Et quomodo differat a donatione? — Resp. II. Precarium est species quædam liberalitatis, adeoque contractus gratuitus. Differt tamen a donatione ex eo, quia qui donat, sic dat, ne amplius recipiat: qui autem precario concedit, sic dat quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere, seu revocare. Textus est in cit. l. I. ff. de Precario.*

6. *Et commodato? — Resp. III. Etsi precarium simile sit commodato, quantum ad hoc, quia etiam is, qui commodat alteri rem suam, sic commodat, ut eam non faciat recipientis, sed post certum tempus, aut completum usum ab eo recipiat, cit. l. I. ff. de Precario. differt nihilominus a commodato in pluribus aliis. Ita communis; et patet tum ex diversitate titularum, in quibus tractatur de eisdem; cum inductione. Nam imprimis commodatum conceditur ad determinatum usum, certumque tempus expresse, vel saltem tacite appositum: ut si commodetur cuipiam equus ad arandum, expleto illo labore debet equus domino suo reddi. Precarium vero non datur ad certum et determinatum usum, neque etiam ad certum tempus: sed quandiu concedens permiserit, sive precarium non revocaverit, cap. ult. h. t. juncta Glossa, §. *Per conventionem*, et Abbate, ibid. n. 11 et 12. aliisque passim.*

7. *Precarium potest etiam ad determinatum tempus constitui; et qualiter? — Nec obstat, quod etiam precarium ad certum tempus constitui possit, l. In rebus. et l. Cum precario. ff. h. t. Resp. enim, adhuc notabilem esse differentiam; tum quia nihilominus ille, qui precario ad tempus rogavit, finito tempore illo rem precario possidere videtur, nisi revocetur: intelligitur enim dominus, cum patitur eum sic possidere, rursus precario concedere, cit. l. In rebus. §. fin. ff. eod.*

tum etiam, quia non obstante concessione precarii ad certum tempus; adhuc illud ante hoc tempus (seclusa tamen malitia seu dolo) revocare potest: nam pactum contra substantiam contractus non valet, cit. l. *Cum Precario*, ubi Bartolus, in *Summario*. eod. Secus est in commodato, quod nec ante determinatum tempus a commodante revocari potest, nec ultra illud a commodatario protrahi.

8. *Precario rem accipiens, naturaliter eam possidet: secus est in commodato.* — Secundo differunt: quia qui rem commodatam recipit, nec civiliter, nec naturaliter possidet: nam rei commodatæ possessionem retinet ipsemet commodans, l. *Rei commodatæ*. ff. *Commodati*. et §. *Possidere*. Instit. de *Interdictis*. At vero is, qui precario rem accipit, naturaliter eam possidet, arg. l. *Et habet*. juncta Glossa, §. *A possessione*. ff. de *Precario*. Pirhing, h. t. n. 3.

9. *Ille tenetur solum ex dolo, et culpa lata; secus dicendum in commodato; et cur? — Tertio differunt; quia qui precario rem accepit, tenetur solummodo ex dolo, et culpa lata, quæ dolo æquiparatur, si rem interire contigerit: non vero ex culpa levi, vel levissima, l. Quæsitum est. §. *Eum quoque*. ff. eod. et l. *Contractus*. ff. de *Reg. Jur.* Secus dicendum de commodato, quod fit gratia recipientis tantum: nam ibi venit etiam præstanda culpa levis, ac levissima, ut dicitur tit. seqq. n. 15 et 16. ac notat Abbas, c. *Precarium*, n. 14. h. t. Ratio disparitatis assignatur in cit. §. *Eum quoque*, et Abbate, loc. cit. Quia precarium pendet ex mera liberalitate concedentis, qui potest illud revocare, quancumque voluerit; secus dicendum de commodato, utpote quod non potest revocari ante completum usum, sive tempus determinatum.*

10. *Precariæ, sive precaria in singulari, quid? — Quæritur III. Quid sint precariæ, et quomodo differant a precario? Resp. I. Precariæ, sive Precaria in singulari numero, est contractus jure canonico introductus, quo alicui ad preces, ac plerumque causa remunerationis ususfructus alicujus prædii vel alterius rei ecclesiasticæ immobilis, ad dies vitæ, vel aliud certum tempus conceditur: ea tamen lege, ut singulis quinquenniis renovatio hujus contractus petatur. Ita desumitur ex cap. I. et seqq. h. t. estque in re communis. Unde Glossa, in can. *Precariæ a nemine*. 10. q. 2. §. *Precariæ*, inquit, quod*

precaria sit quidam contractus affinis emphyteusi; sed in hoc differat, quod de quinquennio in quinquennium renovetur: ut cit. can. *Precariæ de quinquennio*. 10. q. 2. et cap. I. h. t. ibi: « Precariæ de quinquennio in quinquennium secundum auctoritatem, et antiquam consuetudinem renoventur. » Idem contractus est similis locationi, nisi quod emphyteusis, atque locatio, fiant sub onere præstandi certam pensionem annuam; precariæ vero concedantur gratis, vel causa remunerationis.

11. *Contractus precariæ, seu precariarum, et contractus precarii, differunt in pluribus.* — Resp. II. Contractus precariæ, seu precariarum, et contractus precarii, differunt in pluribus. Primo enim precarium potest fieri tam circa res mobiles, quam immobiles. Precaria vero solum circa res immobiles, arg. can. 2. §. *Si æconomus*. et can. *Precaria a nemine*. 10. q. 2. ac notat Pirhing, h. t. n. 10.

12. *Deinde precarium regulariter ad certum tempus non conceditur, sed tandiu solum, quandiu placuerit concedenti. Precariæ vero vel ad dies vitæ, vel ad aliud certum tempus concedi possunt, quamvis de quinquennio in quinquennium renovari debeant, ne fluxu temporis contingat perire memoriam beneficii, cap. I. et III. h. t. Additur tamen: « Precarium regulariter, » propter dicta n. 7.*

13. *Precarium semper potest revocari pro arbitrio concedentis: dummodo non fiat revocatio intempestiva.* — Tertio, precarium semper potest revocari pro arbitrio concedentis, l. I. ff. de *Precario*. et cap. III. §. 1, h. t. Dummodo non statim revocetur sine cogente necessitate, ne frustra et illusorie concessum videatur; atque beneficium alicui præstitum, ipsi damnosum existat: alioquin enim, si fieret intempestiva, et præcipitata precarii revocatio, ex qua sequeretur maximum damnum alterius, obstaret exceptio doli; ut bene notant doctores cum Abbate, in cap. ult. n. 13. h. t. Siquidem precarium debet continere liberalitatem, ac beneficium; non autem nocumentum, et injuriam: « Adjuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet, » ut inquit jurisconsultus l. *In commodato*. §. *Sicut*. ff. *Commodati*.

14. *Secus dicendum de precaria: nisi fuerit irrationabiliter concessa.* — E contra vero precariæ non possunt revocari, antequam tempus concessionis sit elapsum, cap. ult. §. fin. h. t. ibi: « Porro precariæ non sunt

pro voluntate concedentium revocandæ. » Intelligi, dummodo precaria de rebus Ecclesiæ non sit irrationabiliter; seu in grave damnum Ecclesiæ facta: alioquin enim revocari posset, ac deberet, nedum a successore concedentis, cap. II. h. t. sed etiam ab ipsomet concedente. Engel, h. t. n. 5. et alii. Quod ut melius intelligatur:

15. *Ad concessionem precariarum requiruntur solemnitates juris.* — Quæritur IV. Utrum ad concessionem precariarum requirantur solemnitates juris, cæteroquin ad alienationem rerum ecclesiasticarum requisitæ? Resp. affirmative. Siquidem ad omnem alienationem rerum ecclesiasticarum, imo ad locationem ultra triennium requiruntur dictæ solemnitates juris, Extravag. *Ambitosæ. de Rebus. eccles. non alienand.* Atqui precariæ continent ejusmodi alienationem, similem locationi ultra triennium; eo quod per precarias concedatur ususfructus rei ecclesiasticæ immobilis ad dies vitæ, vel aliud certum tempus: ergo ad eas, si concedantur ultra triennium, prout ordinarie fieri solet, requiruntur solemnitates juris. Zoësius, h. t. Engel, n. 4.

16. *Quando conceduntur ultra triennium: alias secus.* — Secus dicendum, quando precariæ non conceduntur ultra triennium: quia tunc ad earum concessionem, ex rationabili tamen causa factam, non requiritur specialis consensus superioris; sicut nec ad locationem, cui assimilantur solummodo ad triennium concessam, juxta citatam Extravag. *Ambitosæ.* Alioquin vero, si precaria ultra triennium irrationabiliter, seu non servatis debitis solemnitatibus juris, concessæ fuerunt, revocari debent per successorem, cap. II. h. t. imo etiam per ipsummet concedentem revocari possunt, ac debent, veluti nullæ ipso jure, juxta superius tit. præced. § 3. n. 52. et 59. ac seqq.

17. *Precarium expirat per revocationem concedentis.* — Quæritur V. Quando expiret precarium, vel precaria? Resp. I. Precarium cumprimis expirat per revocationem concedentis: ut I. I. et II. ff. *de Precario.* « Est enim naturæ æquum, tandiu liberalitate mea uti, quandiu ego velim: et ut possim revocare, cum mutavero voluntatem; » prout ibidem jurisconsultus loquitur. Concordat, cap. ult. § 1. h. t. ibi: « Precarium utendum conceditur, quandiu patitur, qui concessit. »

18. *Ac moriente illo, cui concessum est: non*

autem morte concedentis. — Resp. II. Insuper precarium expirat moriente illo, cui concessum est: non item morte illius, qui concessit. Textus est in cit. cap. ult. h. t. ibi: « Solvitur quoque (precarium) obitu ejus cui concessum est, non etiam concedentis. » Et ratio prioris partis est; quia precarium est beneficium personale, ipsi precanti concessum: atqui « privilegium, sive beneficia, personale personam sequitur, et extinguitur cum persona, » juxta reg. 7. jur. in 6. Altera pars habetur etiam in I. *Quæsitum est.* § *Quod a Titio.* et I. *Cum precario.* § fin. h. t. ubi dicitur, quod « rogatio precarii, ad hæredem ejus, qui precario concessit, transit. » Nec immerito: nam hæres censetur eadem esse persona cum defuncto. Auth. *de Jurejurand.* § 1. collat. 5. Unde, nisi hæres precarium revocaverit, censetur hujus concessio durare: quinimo hæres, cum patitur eum, qui precario rogaverat, possidere, rursus precario concedere intelligitur, I. *In rebus.* § fin. h. t.

19. *Finitur etiam, si precario concedens rem alienaverit.* — Resp. III. Uterius finitur precarium, si istud concedens, rem precario datam alienaverit: nisi de voluntate novi domini res eadem remaneat penes illum, qui ipsam precario receperat. Ita Glossa, cap. ult. § *Solvitur.* h. t. estque decisum in cit. I. *Quæsitum est.* § *Illud.* ff. h. t.

20. *Precarium pignoris expirat soluta debita pecunia.* — Expirat etiam precarium pignoris, quando debitor pecuniam debitam solverit creditori, *Si debitor.* ff. eod. et Glossa, loc. cit. Quamvis enim nemo rem propriam precario habere, seu possidere possit, I. *In rebus.* § *Item si rem meam.* ff. h. t. Nihilominus, si debitor rem suam pignori subdiderit, potest eam creditore precario habere: sicque possidere: ita tamen, ut soluto debito cesset precarium, cit. I. *Si debitor.* ff. h. t. et notat Pirhing, eod. n. 10.

21. *Precaria in feminino accepta expirat, si elapso quinquennio non petatur revocatio ejus: et cur?* — Resp. IV. Rursus precaria in feminino accepta, expirat, quando ea fuit concessa ad longum tempus, et elapso quinquennio is, qui eam accepit, non petivit revocationem ejus. Ita Abbas, cap. 1. in fin. h. t. istud a simili probans ex can. *Longinquitates.* 12. q. 2. atque ex eo: quia etiam Vasallus non petens investituram a novo domino intra legitimum tempus, puta intra annum, cadit jure suo: idem ergo dicendum

in proposito. Nam, ut longitudine temporis non pereat memoria factæ liberalitatis, seu contractus precarium, neque res immobiles ecclesiarum lapsu temporis præscribi valeant: et auctoritas, et antiqua consuetudo, precarias de quinquennio in quinquennio revocari præcepit; ut habetur can. *Precarie de quinquennio.* 10. q. 2, et cap. I. h. t.; Pirhing, eod. n. 14.

22. *Qualis detur actio ex precariis? Spectato jure canonico, non est opus exprimere nomen actionis in libello.* — Quæritur VI. Qualis detur actio ex precariis? Ubi prænotandum, quod quidem, spectato præsertim jure canonico, non sit necesse nomen actionis exprimere in libello; sed sufficiat factum ipsum, reique veritatem clare proponere, simulque causam petendi, ipsamque conclusionem apte proponere, c. *Dilecti.* 6. *Judiciis;* etque jam dictum supra, lib. II. tit. III. *de Libelli oblatione.* n. 18. et seqq. Adhuc tamen doctores, pro meliori intelligentia, passim soleant quærere, quod proinde etiam impræsentiarum videtur observandum: Unde

23. *Ex precario in neutro, datur Actio precarii seu Interdictum de precario.* — Resp. I. Loquendo de precario in neutro, datur ex eo « Actio precarii, sive interdictum de precario, » quo illi licitum est uti, qui alteri rem suam precario concessit, ut eadem sibi restitatur, postquam revocaverit. Tunc enim incipit esse vitiosa possessio: cui proinde præcavendæ provisum est interdicto prætoris in I. II. ff. *de Precario,* illis verbis: « Ait prætor: Quod precario ab illo habes, aut dolo malo fecisti, ut desineres habere, qua de re agitur, id illi restituas. » Quanquam ibidem illico subjungatur, idque repetatur I. *Duo in solidum.* § fin. eod. quod tunc non solum interdicto uti possimus, sed et inserti actione, id est præscriptis verbis.

24. *Interdictum hoc restitutorium est.* — Interdictum hoc restitutorium est, atque rationabilem in se habet æquitatem, et precarium revocare volenti competit: ne cuiquam ipso invito, seu precarium revocante, sua liberalitate uti liceat; imo res una cum fructibus, post interdictum precarii editum perceptis sibi restitatur, I. *Quæsitum est.* § *Ex hoc.* ff. *de Precario.*

25. *Ex precaria, seu precariis in feminino, potest dici oriri Actionem precariarum.* — Resp. II. Loquendo de precaria, seu precariis in feminino, qui contractus in jure civili non reperitur, sed solis canonistis cognitus

est, operæ pretium non est multum laborare de nomine actionis, quæ ex precariis, utpote verum contractum, et pactum vestitum cum juris assistentia importantibus datur: quia, ut proxime dictum in foro ecclesiastico nomine actionum non solent specificari, sed sufficit materiam actionis, sive ipsum jus petendi clare in libello exprimere. Si tamen quis nomen actionis desideret, arbitratu Ludov. Engel, h. t. n. fin. §. *Verumtamen,* eam posse appellari *Actionem precariarum,* eo quod in jure civili actiones ex contractu regulariter assumant nomen sui contractus: ut actio precarii, commodati, locati, etc. Nam, ubi jus canonicum nihil speciale constituit, solet jus civile supplementum præstare, cap. I. et II. *de Novi operis nuntiis,* cum similibus.

TITULUS XV.

De Commodato.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quia commodatum: valde vicinum, et simile est precario, post istud merito agitur de illo in præsentis titulo: unde sit.

§ I.

DE NATURA COMMODATI, REBUSQUE, QUÆ COMMODARI POSSUNT, ET OBLIGATIONIBUS COMMODATARIUM.

2. *Commodatum, unde sic dicatur? Commodator, et commodatarius, quis?* — Quæritur I. Quid sit commodatum, et quomodo differat a cæteris contractibus? Resp. I. Commodatum sic dicitur, « quasi utentis commodo datum: » ut inquit Glossa, cap. un. §. *Commodatum.* h. t. Porro ille, qui rem alteri commodat, dicitur « Commodans, seu Commodator, » qui vero rem sibi commodatam acquirit, *Commodatarius* appellatur.

3. *Commodatum ut contractus, quid, et quomodo differat a cæteris contractibus? Commodatum quandoque sumitur pro re commodata.* — Resp. II. Commodatum, prout accipitur pro contractu, « est alicujus rei ad aliquem specialem usum gratuito facta concessio. » Ita Glossa, cap. un. §. *Commodatum.* h. t. et in re communis. Additur notanter, prout sumitur pro contractu: quia ut jam dictum